

www.e-rara.ch

Mōrias Enkōmion

Erasmus, Desiderius

Basileæ, M. DC. LXXVI

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28877>

Erasmus Roter. Thomae Moro, s.p.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ERASMVS ROTER.
THOMÆ MORO,

S. P.

QUÆ tibi narrata sunt de concertatiuncula, quæ mihi fuit apud hujus Academiæ Rectorem cum Nicolao Egmondano, nec omnino vera sunt, neque tamen nihil habent veri: sic enim solet rumor, & augere quod gestum est, & variare fabulas: neque verò mihi tam inimicus est, ut patiar illum mendaciis traduci. Rem igitur ut habet, accipe: Quandoquidem video nobis isthic tantum esse otii, ut quid heic ineptiamus vacet cognoscere. Ubi litteris expoſtulaſſem apud hujus Academiæ Rectorem, quòd Egmondanus in concione nos perſtrinxiffet, reſcripfit ille: Si placeret ipſum audire coram, ſua verba ſonantem, fortasſe rem poſſe componi. Reſpondi, me nihil detrectare, tametiſi non eſſem neſcius, ab illo *μολὴν ὑγιῆς* proditurum. Covenimus, conſedit Rector, huic ego dexter aſſedi, ſiniſter ille. Nec erat inanis ordo: noverat Egmondani mores, ac de me ſibi falſò perſuaſerat, eum eſſe, qui poſſem irritari: proinde medius conſedit, quò pugnam dirimeret, ſi fortè *λογμαχία* ad ungues ac pugnos efferveſceret. Rem igitur paucis exponit Rector. Ibi compoſito ad miram, ſed ridiculam gravitatem vultu, inſit Egmondanus: Ego nulli feci injuriam in ſacris concionibus: ſi Erasmus ſe putat læſum, proferat; ſum illi reſponſurus. Rogabam, an putaret ullam atrocioſam injuriam,

quàm hominem immerentem in publica concione traducere mendaciis. Ibi continuò commotus homo, & relictâ quam cœperat personâ, magis etiam purpurascens [nam rubebat & antea, erat enim tempus pomeridianum,] Et cur, inquit, Tu nos traducis tuis sacris libris? In libris, inquam, meis nusquam est nomen tuum. Nec in concionibus, inquit, meis auditum est nomen tuum. Negavi libros meos esse sacros, in quibus aliquando narrem etiam somnia mea, nihilque non nuger: non idem licere in sacris concionibus. Præterea longè minus, inquam, scripsi de Te quàm res habet. Tu de me publicè mentitus es, dicens favisse Luthero, cui nunquam favi in eum sensum, in quem tua dicta interpretatur populus, & ipse sentis. Ibi jam non commotus, sed furenti similis: Imo, inquit, tu es autor horum omnium, tu es versipellis ac veterator, & nihil non intorques caudâ quâdam. Atque his similia multa evomuit veriùs, quàm dixit, quæ illi tum suggerebat splendida bilis. Sensi & mihi concitari stomachum, jamque vox quædam eruperat, sermonis non satis temperati præmium, non quidem racha, sed aliud quiddam, quod pejus oleat quàm sonat. Sed repressi me illico, fatiùs ducens, & meæ [nam parùm valebam] & Rectoris parcere valetudini, cui & ipsi cum Medicis res erat, postremò stultum & indecorum ratus adversus furentem furere. Itaque subridens verti me ad Rectorem: Possem, inquam, testari de insigni contumelia, possem regerere convicia, appellat me versipellem, liceret ipsum vicissim appellare vulpem: appellat me duplicem, possem ipsum appellare quadruplicem: ait me caudâ contorquere omnia, possem dicere illum linguâ suâ inficere omnia: sed hæc nec viris digna sunt, ac vix etiam mulieribus. Agamus argumentis: finge me... Hic ille
protinus

interpellans magno clamore nautico: Non fingo, inquit, nolo fingere, hoc vestrum est, vos poetæ fingitis, ac mentimini omnia. Jam magis ridere libebat, quàm indignari. Si fingere non vis, inquam, da igitur... Nolo, inquit, dare. Fac, inquam, ita esse... Non faciam, inquit. Sit igitur ita.. inquam. At non est, inquit. Quid igitur, inquam, vis me dicere? Dic, inquit, Ita est. Vix Rector impetravit, ut sineret me loqui. Ut verum sit, inquam, me in libris meis quædam scripsisse secus quàm oportet, non tamen hoc erat tuum, ad animi tui vindictam abuti sacri loci, sacræ concionis autoritate, & populî simplicis credulitate. Poteras vicissim in me scribere, poteras me in jus vocare. Nunc non tam mihi facis injuriam, quàm toti huic academiæ, quàm toti populo, quàm sacræ concioni, quæ longè aliis fabulis dicatæ est. Hic quum deesset homini quod responderet, alið ut solet, deflexit. Ja, inquit, optares Tibi similem autoritatem. Quam, inquam, concionandi? annuit. Atqui, inquam, & olim sum concionatus, & arbitror me posse meliora dicere, quàm audio Te aliquando proferentem. Quin igitur, inquit, facis? Quia puto me, inquam, majus operæ pretium facere scribendis libris: tametsi tuam industriam non improbarem, si modò doceres ea quæ faciunt ad bonos mores. Ibi venit homini in mentem, quod scripsissem in litteris ad Rectorem, [legerat enim] hæc mihi immerenti, imo benè merenti indignè fieri. Ubi, inquit, tu benè mereris? Fatentur, inquam, hoc plurimi, me non malè meritum de bonis litteris. Ja, inquit, sic vos eas appellatis; sunt malæ litteræ. Et in sacris, inquam, litteris multa restitui. Imò, inquit, multa falsasti. Cur igitur, inquam, approbat Romanus Pontifex suo

diplomate? Ita diplomate? inquit: Quis vidit tuum diploma? subindicans à me confictum esse. An postulas, inquam, ut diploma per singulos circumferam, aut in foro exhibeam? Exhibui Atensi, vidit Dorpius. J. Dorpius, inquit, additurus & in illum aliquid convicii, ni Rector illum suo vultu compefcuisset. Videbis & Tu, si voles, inquam. Nolo, inquit, videre tua. Cur igitur damnas, inquam: Cur in Luthero damnando tantum apud Te valet Pontificis autoritas, in meis probandis, pluma levior est? Hoc sermone omisso, cœpit commemorare, jam velut affectum moturus arte rhetorica, quantis honoribus affecissent me Theologi Lovanienses, priusquam in eos scripsissem. Quid non fecimus, inquit, Tibi? Cæterum de virulentis obtreftationibus, quibus me lanierat Egmondanus, etiam priusquam Lovanium commigrarem, nulla mentio. Respondi, non esse mei moris extenuare cujusquam in me beneficium, cæterum me hætenus Theologorum beneficio non admodum usum fuisse. Ibi nescio quo pacto factus mitior, Verum, inquit; quia non potuimus. Ergo, inquam, ne imputes, quod non præstitistis. Nam quantum potueritis malè faciendo, sensi; officii nihil expertus sum, nisi quòd me vocastis ad actus, quos vocatis, & convivia quædam solennia, à quibus nemo magis abhorret quàm ego: tantum abest, ut existimem me hoc nomine multum debere vobis. Vos me ultrò invitastis ad amicitiam; ego ut nunquam ambii, ita nunquam dedi ansam dirimendæ. Ex hoc sermone venit homini in mentem, de facta inter nos amicitia, uno ipso nondum satis placato, cum nemo stolidiùs læsisset, quàm ille. Putant hoc esse religionis colophonem, ut illis supplices sint, etiam qui non ferendis injuriis sint affecti: tantum

abest, ut quenquam ipsi reconcilient, aut juxta doctrinam Evangelicam benefaciant ei qui læserit. Bene mones, inquit; jactas inter nos factam fuisse concordiam. Quid? an non fuit? inquam. Nonne computavimus splendide in collegio Falconis? [Constiterat hoc prandium ejus domus moderatori non mediocri pecunia: Et quoniam erat dies Mercurii, tantum piscium erat paratum uni Egmondano, quantum satis esset quatuor athleticis] Nonne proposita pacis conditio, ut utrinque deleret offensas omnes amnestiâ? Negavit ille fortiter, quod tot testibus actum erat. Rector interpellans ita moderatus est litem, ut fateretur, inter omnes Christianos esse aliquam concordiam, cæterum eam pacem non fuisse numeris omnibus absolutam. Ego arridens rogabam, quota computatione pax theologica absolveretur; Me simplicem arbitrari, vel sine computatione conficî pacem inter bonos. Hinc rursus aliud illi venit in mentem. Rectè admones, inquit; tu nos habes ludibrio, traducis tanquam ebrios. Expostulante me, ubi vocassem eum ebrium, Scribis, inquit, me fuisse *uvidum à prandio largiore*: quid hoc aliud est, quàm esse ebriosum? Hoc, inquam, neque Te nominato scripsi, & narro ab aliis dictum: nam tui Carmelitæ hoc lemmate te excusabant, ne quis gravius ferret, quod dixeras, *uvidus à prandio largiore*. Ja Tui, inquit; indignans opinor, quod Tui dixissem, non vestri. Quod si maximè, inquam, edidissem nomen, quid erat flagitiî, si quod tu publicè ausus es dicere, ego simili libertate retulissem? nunc honoris tui gratia supprimo nomen tuum, & rem atrocem civiliter narro. Dixeras Fabrum ac me, qui nunc pugnaremus inter nos, olim pugnaturos in profundo tartaro. Ja,

inquit, hoc ab aliis audisti. Verum, inquam; et non ab uno. Sed audes Tu negare dictum? Obtulit. qua quidem in re primum sum admiratus novum hominis pudorem. Mox in alium campum expatiatus negavit se unquam facturum finem vociferandi in Lutherum, donec illum confecisset. Respondi, per me licere illi vociferari usque ad illum diruptionem, modò ne in me blateraret: neque me queri, quòd in Lutherum clamasset, sed quòd in me: quòd ipsum, si illi usque ad eò cordi esset, pergeret, nihil tamen lecri facturum, nisi ut esset bonis omnibus ludibrio, quandoquidem in ea concione vidissem passim omnes ridentes. Hic ille: Ja, inquit, illi Tui erant. Quàm mei sint, inquam, nescio; plerosque ne de facie quidem noveram. Inter cætera crimina objecit & hoc, quòd allegarem epistolas illustrium virorum, qui mihi nonnihil tribuerent, significans, eas à Me confingi, nec ullos esse qui mea probarent; cum ego fermè totum hoc epistolarum genus premam: simulq; indicans, nihil oportere probatum haberi, quod ipsius calculo non esset commendatum. Hinc conjicere licet simul & modestiam hominis, qui sibi tam parùm tribuat, & simplicem purèque christianum animum, qui nihil mali non suspicetur de proximo. Cùm inter cætera dixissem, non debere videri mirum, sicubi querar nonnihil de Theologis in libris meis: cùm Joannes Standitius Minorita, theologus, episcopus à sancto Asino, apud Regem ac Reginam Angliæ, multis proceribus & eruditis adstantibus, impudentissimè me detulerit tribus nominibus; primum quòd tollerem resurrectionem: deinde quòd nihili facerem sacramentum matrimonii: Præterea quòd malè sentirem de Eucharistia: cùm in omnibus libris meis nihil

magis asseram quàm resurrectionem, ac matrimonium edita declamatione sic prædicarim, ut Theologi putarint errorem esse hæreticum, quòd matrimonio plus satis tribuerim. Postremò cum de Eucharistia nusquam, neque scripserim, neque locutus sim, nisi sicut decet, id est, summa cum reverentia: Ja, inquit, hæc omnia fortasse sunt vera. O vocem impotentis animi, sibi que nihil non indulgentis: cur hæc potiùs in me vera essent, quàm si quis dicat Egmondanum compilasse sacrarum ædium gazophylacium? quàm incantasse morituros, uti sibi traderent hæreditatem, frustratis hæredibus? quàm ad quæstum prodidisse, quæ audivit in arcanis confessionibus? Hæc fortasse probabiliùs in illum competere, quàm quæ volebat ille videri non abhorrentia à veris in me. Huic divo committant parentes liberos suos, ut imbibant veræ religionis semina. Quid Tibi nunc referam singula? quicquid quocunque casu dicebatur, rapiebatur in occasionem convicii, non aliter quàm solent pueri rixantes, ac milierculæ procaces: quicquid dixeram regerebat in diversum. Objiciebat epistolam ad Lutherum scriptam. Illic, inquam, moneo quid debuerit vitare. Immo, inquit, doces eum scribere. Etiam hoc videbatur malè habiturum hominem, si Lutherus aliquanto meliùs scripsisset: adeo illum perire cupiebat, non corrigi. Sed illud nullo modo concoquebat, quod adjecissem, Non admoneo quid facias, sed ut quòd facis, perpetuò facias. Hic cum excusarem civilitatem rhetoricam, qua negamus nos admonere, cum maximè admonemus, rursus incanduit. Pulchrè, inquit, dixisti; hoc verè Rhetorum est, omnia fucare, fingere, mentiri. Arridens fassus sum aliquando mentiri Rhetores, sed interim mentiri nonnunquam

& Magistros nostros. Rursum cum dicerem me consuluisse dignitati Theologorum, respondit: Nobis hanc curam relinque, nos prospiciemus. Cum adderem, exurendis Lutheri libris eum è bibliothecis eximi posse, ex animis non item: Ja, inquit, ex animis: ibi eum Tu posuisti. Cum nihil inter nos conveniret: adeo ut si dicerem litteras bonas, ille continuo vocaret malas: si librum castigatum, ille falsatum: si me dixissem alienum à factione, ille protinus caput factionis appellaret: negaturus & intra oleam esse duri quicquam, aut extra juglandem esse duri quicquam, si quid tale affirmassem: Rector interfecans rixam jam nimis longam, negavit hæc esse digna Theologis: se libentius auditorum, si quid faceret ad concordiam faciendam. Age, inquam, quando negas eam concordiam unica computatione potuisse coire, quid superest ad consummandam? Hortante Rectore dixit: Ut facias famam nostram abs Te læsam. Ubi, inquam? in epistolis? annuit. Illis, inquam, jam evulgatis mihi non est in manu quod petis; quanquam illic nullius famam læsi. Ergo palinodiam, inquit, cane. Quam? Scribe, Lovanii sinceros & probos esse Theologos. Id, inquam, haud unquam negavi, sed quos ego taxavi, si mihi præbebunt probam materiam, magnificè de illis scribam. Hic irritatus, Et Tu, inquit, si nobis præbueris benè loquendi materiam, benè de Te loquemur. Tu stylum habes, nos linguam habemus. Taxas, inquit, nos, quòd Tibi oblatremus à tergo; audeo Tibi in os dicere. Nec mirum, inquam; Tu quibus es moribus, auderes etiam conspuere os boni viri. Negavit se adhuc esse tam contumacem. Hoc sermone interrupto, Rector admonuit, ut de Luthero,

quod erat caput, ageretur. Age, inquit, scripsisti pro
Luthero; nunc scribe adversus illum. Hic inficiatus
me scripsisse pro illo, sed pro Theologis potius adversus
illum, cum excusassem multa, otium, imperitiam,
metum, inter alia prætexi suscipionem credulitatis, si
fævirem stylo meo in hominem prostratum ac victum.
Imò hoc ipsum, inquit, scribe, Lutherum à nobis
victum esse. Respondi, non deesse qui hoc vocifera-
rentur, vel me tacente. Præterea magis fore decorum,
si ipsi suam celebrarent victoriam, qui peperissent.
Postremò mihi non constare, quòd eum vicissent, cum
libri illorum nondum prodissent in lucem. Sub hæc
desperans, versus ad Rectorem ait, Nonne prædixi nos
nihil acturos? Quamdiu, inquit, detrectat scribere
adversus Lutherum, tam diu habebimus eum pro
Lutherano. At isthoc, inquam, nomine Tu mihi
Lutheranus eris, qui nihil scribas adversus illum,
neque Tu solus tantum, sed innumeri tecum. Atque
ita non dicta, sed significato vale, Rectori, non
mihi, discessit: quemadmodum qui in gladiatoria
schola vulnus præter certaminis leges acceperunt,
cæteris quidem dant dextram, ei à quo læsi sunt non
dant. Habes ferè summam illius præclari colloquii,
quod illi tamen visum est admodum blandum, cum
hoc ageretur, ut me pelliceret eloquentiâ suâ ad
insectandum stylo meo Lutherum. Neque passus est
ille sibi perire hujus conflictationis gloriam. Jactitavit
apud compotores suos, quàm fortiter obtitisset in
os Erasmo. Rector eadem suis denarrans, non
sine risu, negavit se unquam crediturum fuisse mihi
tantùm esse temperantiæ. Quanquam non hinc
mihi laudem hanc arrogo, qui prorsus insanus
fuissem, si cum illo contendissem. Et tamen est

unus aut alter hoc sceleratior. Nam hic ut molestus est & pertinax, ita minùs habet fuci, semper sui similis. Talem ajunt fuisse puerum, talem magistrum, talem baccalaureum, talem Theologiæ professorem, qualis nunc est Carmelita. Ne Vulcanus quidem hunc recudat, neque retingat Mercurius. Sibi tamen videtur præcipua basis Christianæ religionis, & ordinis Carmelitici decus. Tam jucundus est huic Academiæ, quàm sunt fici in oculis. Sed vomitam hanc nemo potest excutere. Benè vale, mi

More. Lovanii. Anno

MDXX.

